



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

XXV. De clericatu regularium, eorumdemque exemptionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)



C A P. XXV.

DE CLERICATU REGULARIUM
EORUMDEMQUE EXEM-
TIONIBUS.

I.

PRINCIPIO clericatus cum vita monastica consistere non posse videbatur¹. *Monachus* fuit homo, qui, proprio motu, hominum, etiam fidelium, commercium fugiens, in deserto peccata sua deplorare, perfectionemque Christianam sectari instituit. *Clericus* contra a fidelibus sæpe invitatus electus est, qui in oculis omnium functiones in Ecclesia publicas obiret. Clericus, simulatque monachus factus est, functionibus Ecclesiasticis abstinuit. Monachus, qui clericus factus, e monasterii latebris in lucem & ad Ecclesiastica munia obeunda protractus est. Non ita multo post in monachis tolerati sunt presbyteri & clerici, qui sacrum facerent in *oratoriis monasticis*, ne monachis publicæ Ecclesiæ frequentandæ essent. Et ex monachis nonnulli clerici facti sunt, quod pauci ceterorum fidelium ad sacra munia essent idonei. Ad ultimum vita contemplativa & vita activa, h. e. monastica & clericalis, conjunctæ sunt in communitatibus canonicorum. Monachi tamen, quod ex regulis Aquisgranensibus apparet, semper distincti manserunt, licet jam tum clericis annumerati.

Vita clericalis & monastica conjunctio.

1) THOMASS. part. 1. l. 1. c. 47. C. 16. q. 1. c. 2. 3. 4. &c.

Monachi
plerique
sunt cle-
rici, cete-
ri fratres
laici,

II. INDE a sæculo XI. soli clerici pro monachis sunt habiti; *Clerici*, inquam, ii, qui, choro destinati, palmodiam & latinam linguam callebant, quæ jam pridem vulgo nota esse desierat. Denique *concilium Viennense an. 1311.* voluit, ut monachi omnes sacris initiarentur¹. Illiterati, & solum ad laborem corporis ac vilia officia idonei, porro quidem ad vitam monasticam admissi sunt; sed ita, ut nec chorum attingerent, nec suffragio gauderent in capitulo. Atque hi posteriores *fratres laici* seu *conversi* vocati sunt, quasi *laicos conversos* diceres. Monachi Vallis Umbrosæ in Tuscia primi fratres laicos, ad subeundos labores & vilia munera, adscivisse leguntur². Quos secuti sunt Carthusiani & Cistercienses; ut ipsi, externo labore levati, solitudinem occlusi melius colere possent. Ex quo Cluniacenses & Cistercienses innotuerunt, assidue verba fecere ad populum, cujus illustre exemplum S. Bernardus est, omnibusque in Ecclesia officiis fungi cœperunt.

1) *Cl. ne in agro §. pen. de statu monach.*

2) *Hist. Eccl. l. 60. n. 4. l. 63. n. 57.*

Clerici
vicissim
sunt mo-
nachi.

III. VICISSIM *canonici regulares*, licet origine *clerici*, solemnia vota instar *monachorum* fecere, domibus, quas monasteria appellarunt, inclusi, ab abbatibus recti, & cum congregationibus plurium domuum unum corpus constituere: quo factum est, ut vulgo *monachorum* vocabulo omnis generis religiosi comprehenderentur. Soli tamen *canonici regulares* retinere ecclesias parochiales, quarum nullam monachi habere possunt.

IV. MENDICANTES inter canonicos regulares & monachos veluti medii fluctuant. Sunt enim omnes *clerici*, destinati quippe salutem hominum, per prædicationem & pœnitentiæ administrationem, promovendæ. Sed plerique austerum monachatum sectantur, augentque pedum nuditate & mendicitate. Ab utrisque vicissim differunt, quod nullibi fixam sedem habent, sed *ambulatoriam vitam* agunt, ire parati, quo superiorum voluntas, quo salus Ecclesiæ vocat.

Inter utrosque fluctuant mendicantes:

V. EGREGIA in Ecclesiam merita, singularisque erga sedem apostolicam devotio, invidenda Paparum privilegia conciliarunt¹. Qualia sunt, exemptio a jurisdictione ordinariarum, quam a primis incunabulis habuere: infinitæ indulgentiæ, iis impertiendæ, qui certis diebus festis Ecclesias ipsorum visitant, stipemque conferunt ad fabricam, vel ad convivium: potestas celebrandi sanctorum sui ordinis anniversaria sacra: potestas publice verba faciendi, confessiones audiendi, sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ administrandi, sepulturas concedendi in suis ecclesiis, & quæ sunt similia; ab una domo sæpe ad omnes, & ab uno ordine ad reliquos extensa. Celebrerrimum horum privilegiorum promptuarium est constitutio Sixti IV. an. 1474. *fratribus minoribus*, e quorum grege ipse fuit, data, quam *mare magnum* vocant, quamve Leo X. an. 1519. omnibus *mendicantibus* communem esse voluit.

quorum invidenda privilegia.

1) Vid. Collect. privil. ord. mend. auct. J. Bapt. Confecto.

æque ac
clerico-
rum re-
gula-
rium.

VI. CLERICI regulares, veluti *Jesuita* & *Theatini*, eodem fere instituto, eadem facultate, sacra ubique faciendi, iisdem privilegiis utuntur; a ceteris religiosis præcipue in eo discrepantes, quod Missam non cantant: de cetero multis negotiis districti & orationis mentalis studiosiores. Si *externa* spectes, austeris corporis macerationibus posthabitis, vestitu utuntur, presbyterorum sæcularium sui temporis proprio.

Regula-
res nu-
mero pa-
res sæcu-
laribus,

VII. Si itaque computes, quidquid uspiam in orbe Christiano monachorum chori, canonicorum regularium, religiosorum mendicantium & clericorum regularium, est, agmen habebis æque numerosum, aut numerosius *clero sæculari*. Et sane fatendum est, ante instituta S. Caroli, ante seminaria & recentiores presbyterorum congregationes, omne pondus functionum ecclesiasticarum incubuisse *regularium* humeris, qui illud etiamnum bajulant in Italia & in Hispania. Ipsi soli fere pueros instituere, adultos docere, confessiones audire, scholas regere, pios se præbere, aliosque ad pietatem exhortari. Ex ipsis sæpe sunt Episcopi, sæpe pontifices lecti.

exempti a
jurisdi-
ctione or-
dinatio-
rum,

VIII. PLERIQUE regularium a *jurisdictione ordinariorum* i. e. Episcoporum exempti sunt, & quidem pedetentim. Monachi olim, ut ceteri fideles, paruerunt Episcopis^r. Quorum quum sæculo V. multi per civitates discurrerent, Ecclesiasque turbarent, *concilio Chalcedonensi* c. 4. decretum est, ut monachi,
Epi-

Episcopis penitus subjecti, sub pœna excommunicationis, negotia omnia, cum *Ecclesiastica*, tum *civilia*, fugientes, jejuniis & orationi vacarent. Cuilibet monasterio præfuit abbas, quem a monachis electum instituit Episcopus: cujus juris reliquiæ supersunt in *benedictione abbatum*. In Africa primum & in oriente exemptiones gliscere cœperunt². In Italia Gregorius M. nonnullis monasteriis indulgit, ut neque de redditibus rationem reddere Episcopo, nec permittere tenerentur, ut Episcopus ad sacrum faciendum veniret in oratorium claustrale, solitudinemque congregationum turbaret³. Posthæc multi Episcopi, monachorum pietate tacti, vel ipsi eadem indulserunt, vel, ut Romæ exemptionem impetrarent, auctores fuere. Ad ultimum exemptiones ad plerosque religiosorum ordines extensæ fuerunt, & Episcopi eos hac conditione, ut exempti essent, in diœceses suas receperunt. Sed postquam plura incommoda inde nata, novissimis temporibus exemptiones omni modo restringi cœperunt.

1) THOMASS. *discipl. part. 1. l. 1. c. 48. p. 2.*

l. 1. c. 38. sq. 2) Hist. eccl. l. 33. n. 4. l. 36. n. 26.

3) *Gregor. VII. ep. 18. ind. 1. hist. eccl. l. 36. n. 33.*

IX. QUUM præsumtio sit pro jure ^{limitato} communi, exemptiones non attenduntur, si titulo, si diuturna possessione destituuntur. Quæ durante schismate Avenionensi invaluerunt, eæ omnes, quotquot sine causæ cognitione & sine consensu ordinariorum datæ, concilio Constantiensi *sess. 43.* revocatæ, & reliquæ a concilio Tridentino¹ limitatæ, ac in Francia no-

vis constitutionibus restrictæ sunt. Nemo regularium ad populum verba facere potest sine venia Episcopi, qui habet jus id prohibendi, etiam in Ecclesia monasterii². Nemo regularium confessiones audire potest, nisi adprobatus ab Episcopo, qui jus habet hominem tenendi, & adprobationem suam limitandi³. Qui *curas* habent, ratione administrationis sacramentorum & functionum ecclesiasticarum, soli Episcopo parent. In universum omnes regulares in anniversariis sacris, in solempni pompa sacrorum, in ritibus ac caerimoniis publicis, sequuntur morem & observantiam diœceseos, in qua degunt⁴.

- 1) *Seff. 25. Ref. c. 2.* 2) *Seff. 24. Ref. c. 4.*
 3) *Seff. 23. Ref. c. 15.* 4) *Seff. 25. Ref. c. 11.*

limitatio
II.

X. EPISCOPI auspiciis nova monasteria, aliæque piæ societates instituuntur, & si opus, destituuntur: sed ordines novi non nisi a pontifice inaugurandi, ex quo concilium Lateran. IV. c. 13. multiplicationem ordinum, quorum diversitas reipublicæ onerosa, prohibuit¹. Caritas alitur vita uniformi, ipsæque corporis macerationes, si *singulares* sunt, ambitionem & vanæ gloriæ cupiditatem spirant². Nihilominus plerique ordinum ex illo tempore instituti sunt, quia canonum interpretes prohibitionem illam intellexerunt de institutionibus sine venia pontificis susceptis. Ordinem semel approbatum receptumque non nisi papa potest aut concilium œcumenicum extinguere. Sic concilio Viennensi *templarii*, sic *humiliati*, postquam in caput S. Caroli con-

spirassent, extincti sunt. De instituendis, uniendis, supprimendisque monasteriis agemus *Part. II. c. 7.* ubi de Ecclesiarum fundatione dicendum.

1) *C. ult. X. de relig. dom.*

2) *Gloss. in d. cap. ult. verbo novam.*



C A P. XXVI.

DE REGULARIUM REFORMATIONIBUS.

I.

EXEMPTIONIBUS maxime perdita res est regularium. S. BERNARDUS quadam animi præensione acerrimis invecus est declamationibus in hujus generis privilegia. Quum superiores sæpe longe, longius pontifex abesset, infinitis negotiis districtus; delinquere impune fuit, vitiaque radices egerunt, antequam animadverterentur. Obtentu conservandi privilegia in causis ad disciplinam pertinentibus Romam adpellatum est. Fuere & alia laxioris vitæ causæ, fuga & contemptus laborum corporis, itinera in terram sanctam, ad expeditiones cruciatas, ad academias, ad monasteria visitanda, ad conventus generales; conversatio cum profanis hominibus officii causa; naturæ denique corruptio, quæ sola per se sanctissima instituta pervertere potest.

*Prolapsa
regula-
rium dis-
ciplina
cum mo-
nacho-
rum.*

II. CANONICI, quod professione *tum cle-
clerici essent, omnium maxime periclitaban-
ticorum.*